Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 927
Quelle:
Copyright:

In Codice	In Editione cit.
Ecce christum iudicem et regem, dominumque et deum esse ueteris testamenti auctoritate prophetarumque testimoniis comprobauimus. Tenent ista omnia libri inimicorum, legunt quidem sed non intelligunt, quia omnia signata sunt &c.	*Ecce novi Testamenti judicem et regem de prophetis, ecce Christum ex lege omnium dominum tenent. Ista omnia in libris Hebraeorum legunt Judæi et non intelligunt, quia omnia signata sunt* &c.

Liber II. *Capp.* XXVI. numero convenit. In Praefatiuncula Codex melius: *quantae prophetarum voces adjectionem — cecinerunt*, quam Edita: *quanta — in abjectione;* sed in *Recapitulatione Operis*, quam Codex *Reprobacionem Judeorum* inscribit, hic in verba: *in nouam fidei graciam ambulamus*, definit, et non quidem illam Particulam de *Formulis spiritualis intelligentiae*, sed ejus loco adscriptas habet Quaestiones duas, unam de potestate *Balaam* maledicendi Populo Dei, alteram, cur in *Genesi* ad Opus secundae Diei non sit additum: *et vidit Deus, quod esset bonum;* item Observationem de Modo, quo Daemones in homines intrent. Unde haec depromta sint, quaerere non videtur operae pretium. Monebo potius; *Isidori* Scripta tam diversis Titulis ferri, ut facile quem in errorem inducere possint.

II. *fol.* 26. p. 2. *Incipit Liber Bacharij Episcopi de penitentia.* Dixi de hac Epistola et ejus Autore debentia dici *Vol.* I. P. 1. *col.* 253. In Exemplo praesenti post verba: *Unde ergo ad te paululum, cuius causa hec diximus, uerba uertamus*, quibus *Bachiarius* ab *Januario* ad ipsum Monachum lapsum transit, nova Rubrica interstinguit: *Epistola ejusdem consolatoria.* Textus ipse ad Edita *Biblioth. PP. Lugd.* T. VI. p. 1174. expensus imperfectior est. Ita mox sub principium pro *obturato linguae sibilo* habet *fistulo*, et *in templo suo diabolicus dedit exercitus* pro *in triumpho suo;* quaedam tamen sunt, quae Editis saltem aequipares. Ita in fine bene post *interuenire merearis* additur: *ad dominum nostrum Ihesum christum.*

III. *fol.* 35. p. 2. *Incipit prologus in Librum allegoriarum ueteris testamenti.* Haec minio; in margine vero manu coaeva currente: *Ysidorus.* Item *fol.* 99. *Incipit prologus ysidori in librum allegoriarum noui testamenti*, et ad calcem totius tractationis *fol.* 129. *Explicit liber allegoriarum ysidori super euangelia.* Scripsisse *Isidorum* commentarios tam *literales* quam *allegoricos* in Biblia, certum est. *Allegorici* in quosdam Libros extant Edit. *suprac.* p. 413. et a me non semel relati sunt, atque in horum cum Praefatione, tum initio de *Literalibus* ipsemet testatur: *Quia jam pridem juxta literam a nobis sermo totus contextus est*, et: *Creatura*